

in hac opinione, quae apud *Thurocium* II. 66. de Geyza II. rege leguntur: *Geyza rex dedit* ducales expensas *fratribus suis, Ladislao et Stephano*. Cum Dux Stephanus, Belae IV. regis filius, exeunte Saec. XIII. plus in ducali ditione potestatis, quam vsu veniret, sibi fumeret atque arrogaret, pater ferocientem adolescentem, vt mitiorem redderet, inaugurari iussit; ille nihilo minus augendis ducatus praerogatiuis intentus, suos sibi Barones, Palatinum, Primatem, creauit; variaque priuilegia concessit. Vnde diuturna illi cum patre dissidia, quae apud *Spondanum* ad a. 1260. et 1266. leguntur. Conf. *Verböczii* Corpus Iuris Hungar. T. II. p. m. 44.

PRIVATOS DVCEs, qui non fuerunt e regum profapia, quos igitur discriminis istius causa ita vocamus, maiore in ditione sua, atque ampliore potestate, gauisos fuisse, ea quae sequuntur extra omnem dubitationem ponunt. Alios *perpetuos, temporarios* alios reperio. In illis primus occurrit *Cupan*, filius calui Zirind, dux Simigiensis, quem fortem et potentem Thurocius adpellat II. 28. Hunc Stephanus dux, antequam rex diceretur, quod ducatum ei eripere vellet, bello petatum, interemit. Mallem hoc loco Thurocii, loco Cupan, legere *Czupan*, quod Illyrica lingua dominum, herum, dynastam significat: Czupaniarum certe nomen in Seruia, Bosnia, adhuc dynastiarum loco est. Inter istius classis duces etiam *Duces ab Vjlak* recte retuleris. Floruit Iohannis Hunyadis, igitur Ladislai regis aetate, Nicolaus Dux de Vjlak; regnante Vladislao II. Laurentius filius, qui eum ducatum hereditate accepit; ipse, vltimus gentis suae, fiscum heredem habuit. Fuit et *dux Munkatsiensis*, sed Ruthenus, qui anno 1360. hoc est sub Ludouico M. floruit, Theodorus Kiriatoviz, cuius diploma ad manus est, et sic incipit: Nos Theodorus Kiriatoviz, Dei gratia Dux de Munkats, etc. (Bereghiensis Comitatus arx est.) Quam dignitatem eius Maioribus, post eam oram Hungariae adsertam, regum Hungariae aliquis, forte ipse Colomanus, qui Bereghiensem, Vgotshensem, atque Maramarosiensem,

B

Comi-